



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XX. Argumentum. Discutitur, an liceat jurare per Deos falsos? per diabolum? & quis sit blasphemus consuetudinarius? Casus duo, unus de blasphemia, alter de Juramento per comparisonem, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

cutere est actus contumeliæ in Christum Dominum. Ergo est species peccati blasphemiz; cuius formalitas consistit in contumelia contra Deum. *Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 2. & 4. Paul Comitot. lib. 4. quæst. 9. cap. 1.* Alii affirmarunt, esse peccatum *Infidelitatis*, vel generice Contumeliæ in Christum; separatim tamen à blasphemia, tùm quia ex recepto usu loquendi, blasphemia propriè in vitio linguæ consistit. *S. Augustin. lib. 2. de Morib. Manicheor. capit. 11.* tùm etiam quia sicut laus consistit in solis verbis: *Semper laus ejus in ore meo. Psalm. 33.* Honor autem in signis, & factis. *S. Thom. 2. 2. quæst. 133. art. 1. ad 3.* Ita blasphemia consistit in solis verbis; in factis autem consistunt opera Idololatriæ, vel contumeliæ. *Alex. de Alas par. 3. quæst. 13. Membr. 3. Navar. in manual. cap. 12. num. 81. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 4.* Ulterius in cap. 2. §. cæterum. De offic. ord. in 6. Projicere imagines, seu statuas Crucis, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, easque spernere, non dicitur blasphemia, sed actus horrendæ, ac detestabilis indevotionis; ac tandem si aliter diceretur, omnis actus factus contra Religionem, posset nuncupari blasphemia. Hæc opinio videtur probabilior; illud tamen est indubitatum, quod in foro fori, contra deturpantes, & spernentes Imagines Sacras pœna gravior est imponenda, quam blasphemis. *Chartar. decis. 2. num. 18. Menoch. de arbitr. Cusu 396. & Caball. resol. Crim. 91.*

AD SECUNDUM CASUM.

4 Quidam, ut audientes certos redderet de quadam re faciendâ, ait la farò al dispetto di Dio. Quæritur, quodnam peccatum sit istud? Absque discrepantia convenerunt respondentes, esse blasphemiam hæreticalem: nam dicta Verba negant Potentiam in Deo, quod est contra primum articulum fidei. *Boer. decis. 301. num. 1. Jul. Clarus in §. blasphemia num. 2. Decian. tract. Crimin. tom. 2. cap. 2. num. 4. & Farinac. de Delict. & pœnis quæst. 20. num. 20. Novissimè F. Cassianus à S. Elia decis. 63. n. 9. ubi reddit rationem, dicens, quia illa Verba. Al dispetto di Dio, significant, etiamsi Deus noluerit, & sic offendunt ejus omnipotentiam, ac innuunt Deum non potentem.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 Qui sint libri, quibus Ecclesiastici magis indigent, ad colendam devotionem; & ad rectè peragendas Cæremonias Sacras? Prudenter responderunt, Ecclesiasticum considerari posse vel tanquam Christianum, vel tanquam Sacerdotem, vel tanquam Animarum Pastorem. Quilibet tanquam Christianus habere, & legere deberet Sacrum Evangelium, Vitas Sanctorum, Opera P. Granatæ, Sancti Francisci Salesii, Didaci Stellæ de Vanitate mundi, & opuscula, tùm Cardinalis Sfortiz Pallavicini, P. Arte della Perfezione Christiana, tùm P. Pauli Segneri Soc. Jesu. Il Penitente Instruito; La Vera Sapienza. Il Divoto di Maria Vergine; La Manna dell' Anima, & ulterius Il Cristiano Instruito.

Tanquam Sacerdos, quilibet habeat, & legat Rubricas Missalis, Bartholomæum Gavantum, & Paulum Mariam Quartum ad ipsas Rubricas; Verum Ecclesiasticum P. Joseph. Manfi; Parnesim Teleturgicam Episcopi Sperelli; P. Antonium Molinam de Dignitate Sacerdotum; & præcipuè Commentaria in Psalmos, vel In-

cogniti, vel Cardinalis Bellarmini, aut alterius expositoris, pro devota recitatione Horarum Canonicarum.

Tanquam Animarum Pastor quilibet habeat, & assiduè revolvat studendo, & legendo Catechismus Romanum; Synodales Constitutiones, Summam Theologiæ Moralis, vel Cardinalis Toleti, vel Bussembaum; Medullam Theologicam Lud. Abelly; Rodriquez *Esercizii della Perfezione Cristiana*; & Quadragesimale supradicti P. Pauli Segneri, qui per rationes, & argumenta solida agit de modo suadendi populum ad Dei præcepta servanda; ac novissimè ejusdem Auctoris Il Parocho Instruito, & Il Cristiano Instruito.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Discutitur, an liceat jurare per deos falsos? per diabolum? & quis sit blasphemus consuetudinarius? Casus duo, unus de blasphemia, alter de Juramento per comparationem. Obligatio solvendi legata pia.

SUMMARIUM.

1. Jurare an liceat per Deos falsos?
2. An per Diabolum?
3. Blasphemus consuetudinarius quis dicatur?
4. Blasphemare Christum, & Apostolos unico contextu quot sunt peccata?
5. Jurare per comparationem ad Christum, vel ad Evangelium, quale peccatum sit?
6. Legata pia ex quibus motivis sint promptè solvenda?

Ad Infra-scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD PRIMUM. An liceat jurare per Deos falsos? Ferè omnes usi sunt hac distinctione, Vel loquimur de vero, & serio Juramento; & nequaquam licet, imò qui juraret verè, & seriò per falsos Deos, committeret blasphemiam, omnium nefandissimam; Juramentum enim sit ad honorem Dei, qui affertur in testem Veritatis. *cap. 2. cum seqq. 22. quæst. 1.* Idcirco qui per falsos Deos juraret, daret Creaturæ honorem debitum Deo Creatori, quod prohibuit Deus *Exod. 23. Per nomen externorum Deorum non jurabis.* Et hæc docent Suarez de Relig. tom. 1. tit. de Irreligiositate cap. 6. numer. 13. Sanchez ad Præc. Dec. lib. 2. cap. 32. numer. 9. Bussembaum lib. 3. tract. 2. capit. 1. Vel intelligimus de Jocofo Juramento, idest Joci causa facto, irridendo falsos Deos, & illicitum non videtur. *Ricciul. de Personis, qua in Statu reprob. lib. 1. cap. 10. num. 31.*

Ad secundum. An liceat jurare per diabolum? Eadem usi sunt distinctione; nempe quod verè, & seriò non liceat, quia esset blasphemia hæreticalis. *Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 13. punct. 1. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 3. Sanchez d. cap. 32. num. 34.* Secus autem si per jocum fiat. At neque ex joco licere advertit. *Ricciul. d. cap. 10. num. 34.* ubi notat, hunc abusum admodum familiarem esse apud Siculos, & Calabros, ideòque nonnulli Episcopi fecerunt illum Casum sibi reservatum; quia licet deficiente intentione honorandi diabolum, cesset deformitas hæreticalis, remanet tamen simplex peccatum abusus.

D 3

Ad

3 **Ad Tertium.** Quando quis dicatur Blasphemus *Constitutionarius*? Nonnulli censuerunt, ex tribus distinctis actibus blasphemandi induci consuetudinem. *Decian. in Tract. Crimin. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 26. Farinac. de delict. & penis quaest. 20. num. 44.* At plurimi tenuerunt, majorem numerum actuum blasphemiae requiri ad faciendum blasphemum consuetudinarium juxta doctrinam *Menochii de Arbitr. casu 375. relati per Quarant. Verb. Blasphemia in addit. Carenia de S. Offic. part. 2. tit. 7. num. 22.* Et Novissimè *Antonii Concioli Cantianensis in suis Resolutionib. Criminalib. Verb. Blasphemia resol. 1. num. 4.* ubi notat, quod ille dicitur consuetus blasphemare, qui per plures dies, puta quinque, vel ultra blasphematur. Et hæc opinio approbata jam fuit in hac Curia Episcopali; quæ declarando primum Casum reservatum de blasphemantibus ex consuetudine, definivit, talem censeri, qui *Osties à postrema confessione blasphemaverit.*

AD PRIMUM CASUM.

4 *Quidam unico contextu blasphemavit Christum, & Apostolos. Quaritur, quot peccata commiserit? Discordes fuerunt in numero. Alii voluerunt, duo tantum fuisse commissa peccata; quia blasphemia in Apostolos terminatur unico actu & moraliter est unica transgressio, & unus moraliter actus sine interruptione.* *Navar. in Man. cap. 6. num. 17. & 38. Bonacin. tom. 1. De Censuris in com. disp. 1. quaest. 1. punct. 5. num. 7.* Alii sustinuerunt; tredecim fuisse peccata, quia contumelia illata in plures, habet tot malitias, quot sunt personæ. *1. Patet 41. ff. de injuriis; idè qui unico ictu occidit tres Clericos incurrit tres excommunicationes.* *10. Andr. in cap. delictum De Reg. Jur. in 6. Sayr. de censur. lib. 1. cap. 10. num. 9.* Alii concordare voluerunt dicentes, esse unum peccatum æquipollens tredecim peccatis, ex doctrina *Azor. part. 1. lib. 4. quaest. 5.* & hæc opinio tanquam magis propria amplectitur à *Ricciulli. d. lib. 1. cap. 11. à num. 11. & seqq.*

AD SECUNDUM CASUM.

5 *Quidam affirmaturus certam rem ab eo factam, sic ait: Res ista est ira vera, sicut verum est, Christum esse natum de Virgine Maria; & sicut verum est Evangelium. Quaritur quale peccatum committat? Omnes cum distinctione processere. Videlicet, vel animus sic affirmantis esse, asserere tantam esse certitudinem in eo dicto, quanta est in fidei veritate; & sic committit blasphemiam hæreticalem, quia æquiparat Veritatem divinam cum veritate humana, & tantum tribuit creaturæ, quantum Creatori, & infamat quodammodo Evangelium.* *Suar. ubi supra tom. 1. cap. 6. num. 12. Ricciulli de lib. 1. cap. 10. num. 35.* Vel sic loquens non intendit supradictam comparisonem; sed talem qualem similitudinem, sano modo intelligendam, tunc nullum est peccatum, quia non facit injuriam, vel contumeliam Deo, aut fidei; sed potius eam magnificare videtur. *Tambur. in Decal. l. 2. cap. 6. §. 4. num. 16. & Bonacin. tom. 2. in Primum. Dec. Præceptum disp. 3. quaest. 8. punct. 2. num. 13.* Videantur mea *Erotemata c. 32. num. 23.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

6 *Quibus mediis suadendi sint debitores piorum Legatorum, ut illa promptè, & cum affectu solvant? Sequentia tradiderunt. 1. Quod versantur in*

statu damnationis ob peccatum mortale, non solventes quod debent. 2. Post eorum mortem hæredes, quos reliquerint, ordinata per ipsos non esse executuros; juxta illud *Math. 7. Omnia ergo quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* 3. Quot sunt incapaces abolutionis, tùm quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; tùm quia est Casus reservatus in hac Dicecesi. 4. Quod sunt vocandi crudeles; privantes animas defunctorum debitis suffragiis, quæ lamentantur, & dicunt, *Quare carnis nostris satur animi? Job. 19.* 4. Quod Deus remunerat etiam in hac vita, prospera concedendo iis, qui satagunt pia legata solvere, ut de *Salomone*, qui diligenter executus fuit voluntatem Patris. 5. E contra Deum punire etiam in hac Vita non solventes legata pia, & hæc est potissima causa destructionis domorum, ac familiarum. 6. Eos esse similes incendiariis, nam si illi comburunt segetes, vel domos; non solventes pia legata, detinent in igne Purgatorii parentes, ac conjunctos. 7. Quod Jus civile præcipit tardantes solvere legata, esse condemnandos in duplum. 8. Item mixta, ubi *Gloss. Verb. distulerint, & Verb. In Judicium, Instit. de Actionib.* 8. Imò teneri hæredes ad interesse solvendum pro legatis piis non solutis. *Tiraquell. de Privilegiis causa Priv. 141. Gratian. discept. forens. cap. 688. num. 19.*

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Referuntur pœnæ statutz in blasphemos, & in provocantes ad blasphemandum. Ad quid sint obligati, qui audiunt aliquem blasphemare? Blasphemus an possit capi in Ecclesia? Quæ & quot faciendæ ab Ecclesiasticis, ut salventur?

SUMMARIUM.

1. Pœna in blasphemos quæ, & quot sint statuta?
2. Provocantes ad blasphemandum quibus pœnis puniantur?
3. Audiens aliquem blasphemare ad quid teneatur?
4. Blasphemus an gaudeat immunitate loci Sacri?
5. Ecclesiastici quæ debeant facere, ut salventur?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD Primum. Quamam sint pœna statuta in blasphemos? Restringendo, quæ profusis, doctisque calamis scripta sunt, de Jure Mosayco erat Lapidatio, *Levit. 24.* De Jure civili mors naturalis. *Auth. Ut non luxurientur contra naturam. §. 1. & 2. De Jure Canonico antiquo Excommunicatio cap. 2. de Maledic. De Jure novo Pontificio, si blasphemus est laicus, punitur pœna pecuniaria, & in statu Ecclesiæ. Si clericus per Bullam §. *Pii VI.* prima vice privatur fructibus beneficii, altera vice beneficiis ipsis; tertia vice deponitur, & in exilium mittitur. Si beneficium non habet, punitur pœna pecuniaria, vel corporis afflictiva. *Novar. in summa Bullar. p. 1. Commentar. 33. num. 1. Ricciulli de personis, quæ in statu reprobato lib. 1. cap. 14. ubi num. 11. advertit, quod quod ad laicos hodie infligitur pœna secundum statuta municipalia, quibus non extantibus intrat arbitrium Judicis; quod docet etiam Jul. Chartar. decis. 2. num. 22. Sperell. decis. 134. num. 52. & Concioli d. Verb. Blasphemia resol. 1. num. 5. Et mea Erotemata. cap. 34. num. 27.**

Ad